

liunde quàm ex arborum gummatis
 bus deriuasse existimabit. Vnde & ab
 Aristotele pro lachryma arboris est
 habitum. In quam sententiam Diosco-
 rides etiam pedibus ire maluit, quàm
 quod ex Lyncis vrina natū crederet.

Nā quod Brasauolus putat, Diosco-
 ridem in eadem fuisse sententia cum
 Demonstrato, falsus conuincitur ex li-
 bro 7. cap. 73. vbi sic inquit: Lyncis v-
 rinam, quam Lyncurium appellant,
 simul ac excernitur glaciari coiréue in
 calculi duritiem vulgò creditum est.
 quare quod de ea proditum est, vanū
 esse cōuincitur. quo certè in loco pla-
 nè reijcere videtur Demonstrati opi-
 nionem. Et idem libro 1. cap. 92. asse-
 ruisse videtur, cum dicit: Lachrymam
 populorum commemorant, quæ in
 Padum amnē defluat, durari ac coire
 in succinum, quod Electrum vocant
 aut Chryfophorum, &c. cuius Oui-
 dius secutus est sententiam:

Inde fluunt lachrymæ, stillatæq; sole rigescunt

g